

am sibi relicta; sed & radiis Scripturæ illuminatæ captum infinitis gra-
 dibus excedunt. Quæ res quotidianâ teste experienciâ, clarior est, quàm
 ut probatione ullâ indigeat. **II. Nimiam potentia infini-
 tæ elevationem.** Tumultuantur hîc itidem prurientia Cal-
 vinianorum ingenia, mirasque excitant tragedias, cum purgare se &
 excusare omni ex parte allaborant, quasi nullam potentia divinæ faciant
 injuriam. Sed quid? nisi fumum vendunt, & glaucoma oculis obji-
 ciunt? Praxis certè Illorum protestationi contraria larvam manifestè
 detrahit. Nam quæ, quæso, prima reciprocatiois serra, quæ fuit pal-
 maria factionis causa? Nonne, quoniam finitâ rationis decempedâ
 emetiri non licuit, quâ ratione aut modo Corpus Domini glorifi-
 catum, & in cœleste gaudium receptum in pluribus eodem temporis
 momento locis existere, cœlo & terris verè ac substantialiter præsens
 esse, hîcque ore manducari possit? *Quasi Deus summâ cum exuperan-
 tiâ non posset facere omnia, supra ea, quæ petimus aut cogitamus?* Eph. 3.
 v. 20. Et quod mireris, hac ipsâ adhuc tempestate, eandem ob cau-
 sam, negant simpliciter & pernegant corpus ullum in pluribus locis exi-
 stere posse, per potentiam Dei absolutam, negant extensionem quanti-
 tativam, & per consequens locationem à corpore ullo modo esse sepa-
 rabilia. Licet, si dicendum ut res est, non tam actualis locatio, quàm
 localitas corporis naturalis sit affectio, nec illius essentia repugnet in
 pluribus locis esse, præsertim si per Omnipotentiam Divinam fieri posse
 hoc ipsum statuatur. Si namque, juxta consuetum naturæ ordinem,
 una numero vox in centum vel mille Audientium auribus est, sine cir-
 cumscriptione, aut si visus meus, prout sonant verba c. Lutheri, per æ-
 rem, lumen vel aquam penetrat, atque in iis rebus est, neque tamen loco
 circumscibitur, & si lux & calor per ærem, aquam, Vitrum, Crytallum
 & per similes materias penetrant, ac in iis rebus sunt; nec tamen loco
 circumscribuntur, Cur non etiam multipræsentia corporis sub latitudi-
 nem omnipotentia absolutæ citra contradictionem cadere possit, vi-
 dere vix licet. **Quid? quod** extensio quantitativa ut & actua-
 lis locatio in æterna, ad quam tendimus vita, ipso actu à Beatorum cor-
 poribus tollentur, eaque erunt illocalia, (sive loco physico corporeo
 non circumscripta, ut ut definitivè in certo quodam π& futura sint) quod
 patet non solum, quoniam, deposito animalitatis statu, spiritualibus ve-
 stientur qualitatibus 1. Cor. 15, sed maximè, quia cœlum, terra & uni-
 versa

c Vid. des-
 clar. art.
 contr. inter
 Aug. Conf.
 Theol.
 p. m. 753-